DISSERTATIONEM PHILOSOPHICO-MEDICAM,
DE
VERMIUM GENESI IN CORPORE HUMANO,

PRÆSIDE
VIRO
Nobilissimo, Experientissimo Clarissimoq́;
DOMINO
LUDOLPHO HENRICO RUNGIO,
M. D. ejusd. Fac. & Philos. Theor. Profess. Publ.
Ord. Reip. Br. Physico,
Præceptore omni honoris cultu ætatem
prosequendo,
Publicè Ventilandam suscipiet
AUCTOR
DIDERICUS WOHLDT,
Bremâ-Saxo,
Ad diem Saturni IX. Septembris MDCCXIX.
H. S.

BREMÆ,
Typis HERMANI BRAUERI, Illustris Gymnasii Typogr.

DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBUS,
COGNATIS,
PATRONIS

ATque

AMICIS.

Hanc Dissertationem sacram
facit
AUTHOR.



DISSERTATIO PHILOSOPHICO-MEDICA.

DE VERMIUM GENESI IN CORPORE HUMANO.

§. I.

VOx vermis ut de eo ducamus initium, variam agnoſcit originem, hanc enim alii à vere lata nimis derivatione deducunt, quod omnia tunc emicent vermium genera. Jonſton. de inſectis lib. 3. c. 1. eam mavult deducere à Græco ἕρπω quod repere ſignificat. Iſodorus hoc animalculorum genus ideò vermen dici, quod verrat ſeu ad partes oppoſitas ſe trahat, contendit. Alii autem meæ ſententiæ propius accedentes, commodiori ſenſu eandem à vertendo derivant, quatenus omnium verminum ſpeciebus, illud commune eſſe videmus.

§. II.

Vermes autem in genere vix aliter definiri poſ-

sunt, quam quod sint insecta reptilia. Differunt longè plurimum ratione tum magnitudinis, tum coloris, tum figuræ, & quam maximè ratione loci vel patriæ, in qua degunt, ita dantur Vermes Arborarii, fruticarii, leguminarii, frumentarii, herbarii, terrestres, animales & tandem humani. De singulis hisce speciebus agere haud est præsentis instituti, cum de ultimis tantummodò videlicet qui generantur in corpore humano disserere decreverim.

§. III.

Si jam Medicorum observationes pathologicas consulamus, diversa reperiuntur in corpore humano vermium genera, dantur enim vermes in capite, qui atrocem sæpius causantes cephalalgiam encephalici dicuntur, horum numerantur quatuor genera, quorum aliqui in cerebro nascuntur, quidam in naso à Borello nisicolæ dicti, aliquando in auribus teste Kerkringio Observat. Anatom. 19. non nunquam in ipsa dentium radice. Imò vero cùm neque oculi, neque exteriora capitis velamenta, ab his prorsus sint immunia quidni & plures vermium cephalicorum recenseri possent species. Vermes in pulmonibus dari observatione expertissimi Fernelii constat. Caspar. Bauhinus in jecore infantis duorum annorum multos reperit vermiculos. Schenkius lib. 2. observ. med. vermes in pericardio se invenisse testatur. De vermibus in sanguine contentis Riol. in enchrid. Anat. p. 147. & Borellus cent. 3. observ. 4. scripsere. In renibus sæpe inveniuntur vermes, uti idsemet observavi in rene canis

nis, ſub ductu Clariſſimi atque Experientiſſimi Domini Præſidis, Præceptoris mei fideliſſimi atque Fautoris ætatem colendi, ubi reperimus duos vermes, longitudine ulnæ ſpatium ſuperantes & latitudine minimi digiti craſſitiem adæquantes.

§. IV.

Et ſic ferè nulla pars corporis adeſt in qua non vermis ſuum habitaculum inveniat. Ita nuperrimis adhuc diebus in hujus civitatis Noſocomium recipiebatur homo quinquagenarius ulceribus crurum cacoëthicis laborans, in quibus numeroſa illorum proles ſe offerebat ſpectanda, ideò tamen vel quamvis humorum cacochymiam à vermibus derivare prout Langius contendit in pathologia ſua verminoſa minime nobis probabile videtur.

§. V.

At præcipuè reperiuntur in inteſtinis, & hæc in ſpecie ſunt de quibus in præſenti erit noſtra diſputatio. Horum autem plerumque dantur tria genera, aliqui ſunt rotundi, oblongi, tereles, & dicuntur lumbrici & inveniuntur in inteſtinis tenuibus. Secundi generis dicuntur cucurbitini, à ſemine cucurbitæ ſic dicti, vocantur etiam teniæ quia ſæpe ſtupendæ obſervantur magnitudinis, nempe 14 vel 15 vel 16 pedum, apud Platerum 40. Tulp. obſerv. med. Lib. 2. cap. 42. refert hujus lumbrici lati ulnas quadraginta, bidui curriculo, fuiſſe excretas. Plinius libr. XI. H. N. Cap. 33. tradit

tænias pedum 30 & plurium magnitudinem adæquasse, hi per tota inteſtina quandoque extenduntur, quibus arctiſſimè cohærent. Tertii generis ſunt aſcarides admodum exigui & præprimis in inteſtino recto & rugis ani reperiuntur.

§. VI.

Horum igitur in corpore noſtro productio, ut nobis tanto facilius & melius innoteſcat neceſſarium eſſe duximus, in generalem vermium geneſin inquirere. Producuntur autem vermes ſecundum veteres Ariſtotelicos ex putredine, hi enim ſtatuebant duplicem eſſe generationem, vel ſimilarem, vel diſſimilarem, vel ut alii loquuntur univocam & æquivocam, ſimilarem vocabant, quando animal ſui ſimile generabat, ut equus equum, Diſſimilarem quando animal, etiam res inanimata corpus heterogeneum producit, uti ſol murem, corpus putreſcens vermem. Licet ipſe Ariſtoteles de generat. lib. 1. cap. 16. certa quædam inſecta vermes generare affirmet, nihilominus ejus ſequaces, qui hujus magiſtri ſui effati ignari, in vermium generatione ad ſolam provocant putredinem, ex humidi nimia abundantia cum calido juncta exortam: Verum qui novit putredinis naturam nunquam aſſeverabit eam ad productionem animalium aptam eſſe natam, corpus enim cum ideò computreſcat quod motu inteſtino ejus partes continuò agitentur, extra ſitum vertantur atque immutentur, ita ut tandem priſtina mixti forma pereat, nemo non intelligit quamcunque partium diſſociationem, mixturam, vel novum coalitum aliaque inde nata, ad nullam normam eſſe exacta.

§. VII.

§. VII.

Quomodo verò fortuita talis & inordinata mixtura animal poſſit producere cujus partes tam admirabili ordine ſunt diſpoſitæ, vix puto quempiam fore qui illud ſana ratione demonſtrari poſſe exiſtimet. Quinimo ſi hæc eorum argumentatio eſſet vera, quare non novum vermium genus indies producitur? quod tamen ſtante hac opinione neceſſario fieri deberet.

§. VIII.

Hoc igitur ſenſu ſcholaſticorum generationem æquivocam merum eſſe figmentum audacter aſſeveramus, quod mihi facile conceſſum iri confido ſi oſtendero, certo experimento demonſtrari poſſe non minus vermes quam reliqua animantia è ſemine parentum generari, adeoque ſuæ ſpeciei non vero putredinis eſſe prolem. Hoc autem experimentum ſagaci ingenio ac laudabili induſtria Clariſſ. Rhedi adornavit ſequentem in modum.

§. IX.

Sumſit nempe vitrum minoris capacitatis, carnes in illud indidit, & denſiſſimo velo obduxit, hoc vitrum in aliud majoris capacitatis incluſit, hocque rurſus velo rariori clauſit, toto apparatu calori expoſito, plures muſcas odore carnium allectas eò avolare animadvertit. Quid factum, in altero ſc. denſiori velo paulo poſt reperit multos vermiculos, qui niſi quis illos exemiſſet, in vas ipſum penetraſſent.

§. X.

§. X.

Magno autem conatu laborant ut eò versus deveniant; id quod idem observavit Rhedi, vermes enim posteáquam primum velum feliciter trajecerant & jam in secundo, quo orificium vasis quod carnes continebat occludebatur, hærerent, tanto nisu id egisse, ut jam dimidia parte corporis velum illud secundum pertransierint & parum abfuerit, quin carnibus illis sese explevissent.

§. XI.

Sed audio scholasticum triumphum agentem, cum hoc experimento generatio æquivoca magis adstruatur quam destruatur, ex musca enim prodit vermis, animal parenti dissimile; At sciat ante victoriam, quia talis vermis non est animal à musca diversæ speciei, sed pullus ejusdem, qui per congruum nutrimentum justam maturitatem adeptus in similem excrescit muscam per coitum simillimo procreando vermiculo idoneam.

§. XII.

Quæritur ergo cur insectorum pulli figura externa à parentibus adeò discrepent? Hoc ut ritè innotescat considerandum hæc animalcula dum ex ovo prodeunt tenerrimæ esse constitutionis, membra obtinere molliuscula, vix ullo impetui externo sustinendo paria, si igitur nuda ex ovo excluderentur, verendum esset ne vel à solo aëris externi rudiori contactu ita mu-

taren-

tarentur eorum partes minus firmiter cohærentes, ut omnibus certè ideo eſſet pereundum, verum ut ſagax natura in neceſſariis vel etiam minimis nunquam deficit, ita tenerrima hæc animalcula non nuda, ſed folliculo veſtita & defenſa ex ovulo prodire voluit, ut hac ſc. ratione à præcoci interitu defenderentur: Tali itaque peplo involuta, ut vermis non verò animalis alati ſpeciem præſeferant neceſſe eſt.

§. XIII.

Hac autem pellicula ſuſpenſa ſatis manu & convenienti dexteritate remota, in conſpectum prodit animalculum, quod nobis ſatis diſtinctè oſtendit ſingulas partes & ſingula membra nullà ratione diverſa, (ſi magnitudinem, colorem, & ſoliditatem excipias,) à membris iſtius animalis in quod poſtmodum de integro transformari creditur. Uti Joh. Swammerdammius in hiſt. de inſect. gener. Cap. 2. diſertis nobis oſtendit verbis.

§. XIV.

Nolim interim negare vermes dari neque ab inſecto alato procreatos neque in tale mutandos, ſed è verme natos, qualis forte eſt lumbricus terreſtris, à ſola vero putredine productos abſolutè nego.

§. XV.

His jam præmiſſis rei ordo poſtulat, ut vermium generationem in corpore humano mox perſcrutemur. Quos ſequenti modo in corpore noſtro produci poſſe ratio-

rationi videtur consentaneum. Perpendamus modo infinita papilionum, muscarum, culicum, similiumque insectorum oviparorum genera in aëre volitare quorum non nulla tantæ sunt exilitatis ut non nisi accuratissimis possint conspici microscopiis.

§. XVI.

Consideremus hæc animalcula mira gaudere virtute speciem suam propagandi & multiplicandi, ita Hornius observavit unicam apem fœmellam annuo spatio sex millia ovulorum exclusisse, ipsemet vidi præterito mense julio erucas jam in papiliones versas, glutine quodam lanuginoso abductas eoque arboribus ac lignis affixas innumerabilem ovulorum jam exclusorum hoc suo incubatu fovisse, ita Rhedi experimentum ostendit numerosam prolem à muscis haud magno temporis intervallo procreatam, imo stupenda illa ac nobis molesta adeo muscarum copia quam observamus quando caletur maximè, uberrimam harum multiplicationem sufficienter manifestat.

§. XVII.

Porrò animo pervolvamus minutissimorum insectorum ovula adeò esse parva ut à levissima aëris commotione abripiantur ac propellantur de loco in locum, majorum vero uti muscarum, ut plurimum deponi in esculentis & potulentis ut idem demonstrat experimentum Rhedianum: quinimo in quam plurimis concretis præsertim liquidis tantam exiguorum animalculorum copiam detegit microcospium, ut nonnulli

Philo-

Philoſophi non dubitarint omnem ſaporem ex morſu illorum deducere.

§. XVIII.

His inquam ritè perpenſis, nulla amplius hæret difficultas quomodo inſectorum ſemina intra corpus noſtrum hauriantur; ita ova volatilia cum aëre adducta, & humori ſalivali irretita, cum eodem ſæpius demittuntur ad ventriculum, ita muſcarum vel grandiorum quoque inſectorum ovula cum eſculentis & potulentis uti ſunt fructus horræi, carnes, lacticinia, ſaccharata, mellita, corpori noſtro ingeruntur.

§. XIX.

Si jam in ventriculo & inteſtinis offendant mucum à quo ceu convenienti habitaculo poſſint excipi, ſique calor vitalis fovendis hiſce ovulis exacte fuerit proportionatus, & niſi interim ab alia quadam cauſa deſtruantur, tractu temporis vermes excluduntur, his conditionibus ita perſeverantibus vermes jam nati ad majorem minoremve excreſcunt magnitudinem, prout nutrimentum receperint magis minusve congruum.

§. XX.

Aſt objici nobis poſſet ſi hæc ſententia noſtra eſſet vera, neceſſario inde ſequi, quod in omnibus hominibus debeant naſci & dicto modo incrementum capere. Verum cum validior ventriculi digeſtio, hæc ovula facile deſtruere poſſit; præterea certus caloris

gradus requiratur ad illos excludendos, prout anserum incubitu ova gallinæ excludi nequeunt. Unde apparet quod calor justo minor plane non perficit, majorem perdere: & porrò cum unus homo vescatur cibis quibus alter non utitur, unde sæpius evenit quod certa assumta vermibus non solum ineptum suppeditent nutrimentum, verum eosdem plane destruant. Cum igitur milleni dentur homines, quibus felix adeò contigit ventriculi & intestinorum dispositio, ut eorum motus ac calor vitalis longè plus valeat ad destruenda quam fovenda hæc animalcula quorumque victus vermibus prorsus est contrarius, non mirum si hi omnes à vermibus degant immunes, unde apparet superioris argumenti vim facile posse everti.

§. XXI.

Sic homines videmus è contrariò, qui per totum vitæ tempus his affliguntur, quia calor eorum ad vermium generationem aptus est, motus vitalis debilior, assumta vermibus amica, quæ cum ob dictas conditiones in viscidam facilè mutentur putrilaginem, hinc animam ut plurimum habent olidam & excrementa fœtida.

§. XXII.

Cum igitur generatio vermium ex ovulis sufficienter hucusque demonstrata sit, non incongruum erit, ut de diversis vermium generibus in intestinis pauca addamus. Sunt nonnulli qui omnem vermium varietatem, ex sola nutrimenti diversitate derivare volunt, sed meo quidem judicio minus bene, cum

diver-

diverſum alimentum magnitudinem quidem, ſed non ſpeciem animalis mutare poſſit; ergo ſi verum eſt, quod aſcarides cum lumbrico terete ſint ejuſdem ſpeciei, rationi non repugnat illos in lumbricos mutari poſſe, dummodo aptius & uberius recipiant nutrimentum.

§. XXIII.

Verum non ſola magnitudine, ſed revera ſpecie differre vermes in corpore humano, vel ſolus teſtatur cucurbitinus, ſi comparetur cum lumbrico terete, ita dantur alii ad ſerpentem, alii ad erucam, alii ad aliud reptile figurâ accedentes, uti videre poſſumus in tabulis æneis Nicolai Andry tractatui de vermibus, præfixis.

§. XXIV.

Illud igitur hic tantum conſideremus non unius, ſed diverſorum inſectorum ovula ſæpius hauriri intra corpus noſtrum, unde evidens eſt, ſi papilionis ovulum fuerit deglutitum non poſſe inde talem naſci vermem, qualis naſceretur ex ovulo muſcæ & ex hujus, alium rurſus quam ex culicis: Ita memini me quondam vivos vermes vomitu excretos vidiſſe, qui externa figura erucæ erant ſimillimi, neque dubito hoſce vermes ex ejuſdem generis parentibus fuiſſe natos ac eruca. Quid ergo mirum diverſos adeo vermes ſubinde naſci in corpore humano.

§. XXV.

Cum autem vix aliter contintingat, quin unus

 idem-

idemque homo diversissimorum insectorum semina hauriat, mirum sane videtur, cur hic uno certoque sæpius vermium genere, alius rursus alio laboret. Ita unus continuo scatet lumbrico tereti, alter ascaridibus, tertius tæniis; alius aliis, quandoque tamen hisce simul. Ad quam rem multum facere puto, quod hic vel ille calorem potius ad hujus quam illius speciei ovula excludenda habeat proportionatum, prout in gallinis videmus, qui certo tantummodo caloris gradu pullos producere queunt.

§. XXVI.

Præterea victus ratio huc plurimum quoque confert, prout hic diætam agit excarnem, alius iisdem quotidie sese replet, alii usu ciborum horariorum, lacticiniorum similiumque magis delectantur. Quodvis igitur vermium genus cum eodem victu pariter non utatur, verosimile videtur, pro diversitate nutrimenti diversas nutriri in hoc præ isto subjecto vermium species.

§. XXVII.

Imo vero licet iisdem utantur esculentis & potulentis diversi homines, propter differentem tamen digerendi modum, in singulis poterit elaborari peculiaris conditionis chylus, huic vermium speciei congruus, alii incongruus, non aliter ac videmus ob soli diversam indolem, in hac terra, vegetabilia quædam lætius excrescere, in alia eadem extingui.

§. XXVIII.

Quæritur autem, qui vermiculi isti ad tantam imò omnem fidem superantem magnitudinem, uti exemplo lumbrici lati constat, sæpius excrescant. Quod non aliunde commodè deduci potest, quam à nutrimento eorundem lautiori quod vasa ipsorum nimis laxa, præter morem replendo ac proinde extendendo efficit, ut sensim ac sensim ad tantam excrescant magnitudinem. Insuper considerandum dum hæc animalcula convenienti humore & calore continuo foventur, vascula eorum magis ac magis emolliri, ita ut nutrimento appellenti longè promptius & facilius cedant, ac si degerent in loco quodam magis frigido & sicco.

§. XXIX.

Sicut vero insecta excludunt ovula & ex ovo excluditur vermis, ita vermis mutatur rursus in insectum parenti simillimum, uti nobis præter superius laudatum Swammerdammium, Virorum Doctissimorum ac toto orbe Celeberrimorum, Spigelii, Rhedi, Malpighii sedula patefecit industria. Hoc igitur cum adeo sit certum ut jure illud nemo negare audeat, mira res videtur, cur vermis ex. gr. ex muscæ ovo natus in corpore humano nunquam mutetur in muscam, sed semper sub forma vermis excrescat.

§. XXX.

Quæ res, ut verum fatear, primo intuitu datam jam hypothesin non parum mihi suspectam reddere

vide-

videbatur, ita ut ferè crediderim vermes non insectorum alatorum esse prolem, sed sui generis animalcula. Verum re accuratius ruminata, facilè intelligebam, si insectorum vermiculi non nimis lauto sed modico fruerentur alimento, neque in loco nimis humido degerent, canaliculos ad pelliculam exteriorem nutrimentum deferentes, hujus nec non sufficientis humiditatis defectu exarescere atque adeò succo alibili recipiendo & transmittendo ineptos reddi, hoc igitur illa destituta, ut emoriatur necesse est, hinc abscedendo liberum facit excrescendi locum istis membris puta alis ac pedibus, quæ hactenus immediate texerat, his jam cum reliquo corpore adolescentibus, qui hucusque vermis fuit in perfectum suæ speciei animal mutatur.

§. XXXI.

E contrariò hi vermiculi in loco satis humidò & moderatè calido constituti, si copiosissimum ipsisque convenientissimum ac proinde lautissimum receperint nutrimentum, tubuli ad folliculum externum tendentes, nutrimento recipiendo non solum servantur apti, verum illud uberrima copia continuo admittunt, quamdiu ergò nutritur, tamdiu quoque cum animalculò quod concludit, excrescit, ac proinde vero simile videtur, membra quæ immediate dicto folliculo subjacent, tractu temporis ab hoc comprimi, suffocari, recipiendoque ulteriori nutrimento prorsus inepta reddi, hancque veram rationem esse putamus, cur memorato modo vermis sensim majorem molem occupando, non in perfectum sui generis animal, alis

&

& pedibus instructum mutetur, sed reptilis ad insignem magnitudinem excreti formam retineat.

§. XXXII.

Si jam quis quærat, qui contingat ut vermes producantur etiam in remotissimis corporis nostri partibus ex. gr. rene, pericardio, cerebro &c. Respondemus, ex superioribus jam constare animalcula insecta dari longè minutissima, ita ut sine microscopiis conspici vix possint. Credibile est igitur eorum ovula tantæ esse exilitatis ut hausta & versus intestina demissa cum chylo transeant vasa lactea & sic tandem ad M. S. pertingentia, cum eadem devolvi possint ad quasvis corporis nostri partes extremas ibidemque propelli in vasis alicujus arteriosi ramum lateralem, & ex hoc deniquè deponi vel in quodam viscere, vel etiam in extremo quodam corporis articulo: eo autem in loco, si adæquatum offendat calorem excluditur, animalqne exclusum idoneum nutrimentum inveniens paulatim incrementum capit.

§. XXXIII.

Illud verò magis arduum videtur, qui nempe vermes in ventriculo & intestinis fœtus in utero adhuc degentis generentur, quod ex eo constat, quod sæpius statim post partum insignis etiam magnitudinis cum meconio excernantur, uti præter Virorum Doctissimorum observationes, quotidiana testatur experientia. Quidam igitur hac in re se omnes difficulta-

tes

tes ſuperaſſe credunt, ſi cum Hippocrate pronuncient vermes in utero materno cum homine generari, atque huic rei ut aliquam veri ſpeciem concilient, perhibent in prima creationis origine cum primo homine vermes ſimul eſſe productos, & ex hujus hominis ſemine, eoſdem in poſteros eſſe propagatos, & ita tandem totum genus humanum hujus ſeminii verminoſi particeps eſſe factum, adeoque quemvis hominem ab ipſa nativitate vermium ſemine eſſe imprægnatum, ob juſti tamen caloris & nutrimenti defectum, in pluribus hominibus ex dicto ſemine vermes non produci.

§. XXXIV.

At vero quis tanto figmento aſſentiri mallet? Quis crederet ex ſemine humano aliud quid quam hominem gigni? Si enim ex ſemine humano producerentur, credibile eſſet vermes homini adeo eſſe naturales, ut ſine diſcrimine in quovis etiam ſubjecto læte excreſcerent, quod tamen quotidianæ refragatut experientiæ. Cum igitur modo longè probabiliori à nobis oſtendi poſſit via, per quam ad fœtum in utero perveniant vermes, haud mirum videatur ulli, ſi fabula hæc minus nobis arrideat.

§. XXXV.

Ex §. XXXII. igitur repetamus, minutiſſima inſectorum ovula ad quaſvis corporis partes devolvi poſſe, unde liquet, ſi ad uterum pertingant in muliere gravida, quod ex hujus vaſis expedita ipſis pateat


via

via ad uteri placentam, & hinc inde per vaſa umbilicalia ad ipſum fœtus corpus, intra quod recepta, lege circulationis cum ſanguine propelli poterunt ad quasvis corporis partes, horum itaque unum vel alterum, ſi ex ultimis arteriolis ingrediatur excretorium quoddam ſive gaſtricum, ſive inteſtinale ex eoque ſeſe devolvat vel in ventriculum, vel inteſtina, ibidemque requiſito caloris gradu foveatur, ut ex eo (eodem ritu, ut in ſuperioribus in natorum inteſtinis contingere exhibuimus) vermiculus excludatur neceſſe eſt. Cum autem fœtus liquorem amnii, lacti aquoſo haud abſimilem ſubinde ore reſorbeat, exinde vermiculo idoneum nutrimentum ſuppeditari poſſe putamus, ita ut in hoc non minus quam in adulto incrementum feliciter capere poſſit, ac proïnde non mirum, ſi puerulos ſtatim poſt partum vermes excreviſſe obſervatum fuerit.

§. XXXVI.

Poſſemus quidem plura addere de morbis & ſymtomatibus variis à vermibus productis, ſimulque eorundem ſigna, Prognoſin ac curam indicare. Verum hæc quidem pro hac vice dicta ſufficiant. Soli igitur ac ſapienti creaturarum Creatori ſit Laus, Honos & Gloria in ſempiterna Secula.

FINIS.



ANNEXA.

I.

DE omnibus non eſt dubitandum.

II.

Dari fulmina dura & cuneiformia Neg.

III.

Inter liquidum & humidum magna eſt differentia.

IV.

Non dantur Medicamenta univerſalia.

V.

Ventriculus non ſemper eſt cauſa malæ concoctionis.

VI.

Plantæ ſola aqua non nutriuntur.



WOHLDTI dilectos inter sors prima sodales
Pars desiderii maxima pœne mei,
Ardua dum tractas dum profers ardua dextrè
Indolis eximiæ das nova signa tuæ.
Macte tuis donis forti quin macte labore
Sic tua transibit fama per ora virûm.
Scandite virtutis celeri pede nescia mortis
Culmina subvectus Bellerophontis equo,
Sic exantlatis studiis laudemque decusque
Optato nactus fœnore dona petis.

Paucis hisce amico suo paucis unico gratulari voluit

Hermannus Slichtingh,
Med. Stud.

So willstu/wehrter Freund/ uns schon früh-zeitig lehren/

Wie aus den Eyern stets die Würmer sich vermehren.
Du zeigest Deinen Fleiß/den Du erworben hast/
Durch Deine grosse Müh/ und durch viel Sorg und Last.
Drum fahre ferner fort / wie Du hast angefangen/
So wirst Du Ruhm und Preiß durch Deinen Fleiß erlangen/
Der Musen gantzes Heer wird geben Dir den Lohn/
Und setzen auf Dein Haupt die schöne Lorbeer-Krohn.

Diese geringe Zeilen hat dem Herrn Authori überschicken wollen

S. H. H. S.

Ὁ φεύγων μύλην ἄλφιτον ἐκ ἀλφεῖ.

ILlud nequaquam tibi posse latere videtur,
Ut præsens specimen satque superque probat,

Sci-

Scilicet ut dulcem caperes ſapidamque farinam
Æquum duxiſti non fugitare molam.
Nunc igitur reſtat mea gaudia teſter Amico,
Pagina quod præſens hæcce *minuta facit*:
Te verò venerande rogo Moderator Olympi,
Ut tua continuò gratia ſervet eum.

L. Mque

Henricus Carolus Borch,

Ph. & Med. St.



Urit mature, quot vult urtica manere.

QUid noſtri nobis velint præſente notari
Effato Proavi, nulli puto poſſe latere;
Hinc quæ præclarus de ſe ſperanda relinquat
WOHLDTIUS, inſignis primoque in flore juventæ
Edita ſat præſens hæc diſſertatio monſtrat.
Fas igitur, fauſto ſucceſſu læter amici

Pro-

Promamque haud fictos hilari de pectore plausus,
Vosque precor, SUPERI, cœptis, precor Astra favete;
Ut capiat meritæ sic tandem præmia Palmæ.

Amico suo æstimatissimo applausit ita

Joh. Bernh. Feltrup,
Med. St.

